



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Antonii Sanderi Presbyteri, S. Th. Licentiati Hagiologivm
Flandriae Sive De Sanctis eius Prouinciae Liber vnus**

Sanderus, Antoine

Antverpiae, 1625

Bavo Gandauensium Patronus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10172

B A V O

Gandauensium Patronus.

A GILVLFVS Hasbanicæ ex regia Austrasiorum Princi- ^{1. Octob.}
 pum stirpe procreatus, ac Carolomanni Patris Pi-
 pini de Landas, quem primum vocant Brabantæ Du-
 cem, Frater Patruelis, filium preclaræ indolis Alowijnum
 cognomento Bauonem reliquit. Qui iuuenis sub Impera-
 tore Mauricio magna cum laude militauit. Ac deinde
 Francorum Australiarumque Regum, quibus cognatione
 iungebatur in mutuas coedes pro ruentum bellis diu agi-
 tatis cum post Brunichildis Reginæ tristem exitam sum-
 ma rerum ad regem Clotarium deuoluta fuisset, multo-
 rum nobilitate ac rerum gestarum gloriâ præstantium
 militum ac sanctioris vitæ propositum sese transferen-
 tum exemplum secutus est; contemtisque opibus ac ho-
 noribus sæculi, atque à B. Amando Tungrorum Episcopo
 Christi gloriam plenus edoctus deinceps certâ animi de-
 liberatione soli Christo crucifixo militare ipse quoque sta-
 tuit. Et licet Mauricius Imperator lege latâ prohibuisset,
 ne quis ex sæculari militia ad monasticam vitam transiret
 in proposito tamen Clotarij Dagobertique Regum fauore
 suffultus, & à Gregorio Magno Pontifice Romano, ad-
 uersus Mauricij editum pium militum institutum excu-
 sante ac defendantे, animatus constanter perstigit præcla-
 rumque inter coetera Monasteria apud Gandam ad scaldis
 ac legiæ confluentiam eodem D. Amando promotore, in
 honorem D. Petri Apostoli magnificè extruxit, quod ob
 eo postmodum denominatum est. Cum prius pecuniam &
 thesauros suos in pauperes distribuens, cæteras terras ac
 prædia,

Prædia, quæ in Brabantinorum agro alibiique plurima pos-
sivebat in pios usus & hunc præcipue contulisset. In eo
Cœnobio & ipse aliquot annos poenitentiam agens soli-
que Deo (abiectis omnibus humanis curis) inseruiens cum
omni sanctitate vitam hanc temporalem cum æterna an-
no Domini 631. Kal. Octobris fœliciter commutauit. Cu-
ius etiam mutatione Gertrudis & Begga Pipini filiæ scilicet
puriōri vitæ addixerunt, multiisque Principes viri ac fœ-
minæ ipsius exemplum secuti, sanctimoniae laudem apud
posteros meruerunt. Ipsa quoque sancti Gertrudis ani-
mam eius sanctam simul atque è corpore exisset, vidisse,
ac linteum in quo beati viri cognatique sui corpus involu-
ueretur manibus suis contextuissé, eoque ipsum donasse
fertur. Ita officium Sanctorum Ecclesiae Gandavensis.
Vitam scripsit Theodoricus Abbas S. Trudonis. Plura vi-
de apud Molanum hoc die, & in prædicto officio.

D. BERNARDVS CLAREVALLENSIS

Apud Dunenses.

20. Aug. **A**NNO 1138. D. BERNARDVS Abbas Claræ-Vallis in
Flandrias venit prædicatum, ubi sanctis concionibus
ac salutaribus exemplis permultos ad piam beatamque
perduxit vitam, in quibus Arnulphus quidam cognomi-
ne à Maiorica tantâ solicitudine custodiuuit illius doctri-
nam, tantâqua patientia longos grauesque ante obitum
pertulit morbos, ut de eius conuersione ac constantia fæ-
pè Bernardus gratias agens Deo diceret ipsum fuisse tan-
quam aurum in fornace probatum. Meyerus lib 5 Anna-
lium in Theodorico Elſatio. Apud Furnenses autem cum
verbo Dei insisteret Bernardus Dunensibus Cœnobitis
Cister-